

**THESES**  
**EX ONTOLOGIA.**



**TIBI**  
**ALMA. DEI. PARENS**  
**O. VIRGO. MARIA**

QVAM. NVPER. VNIVERSA. PLAUDENTE. ECCLESIA

**PIVS. IX. PONT. MAX.**

DIVINO. NVMINE. PLENVS

**LABIS. PRIMAЕVAE. EXORTEM**

PROCLAMAVIT

HAS. THESES. EX. ONTOLOGIA

QVAS

MEDIO. STVDIORVM. CVRRICVLO

AVSPICE. MELITENSI. ANTISTITE. VIGILANTISSIMO

**Poblio. Maria. ex. Comitibus. Sant**  
SCIENTIARVM. BONARVMQVE. ARTIVM. FAVTORE

PVBLICE. PROPVGNDAS. SVSCIPIVNT

**SEMINARII. ALVMNI**

LVBENTES. MERITO. OFFERVNT

NVNC. ERGO. DVLCISSIMA. MATER. ADSPICE. FILIOS

ET. ERVNT. TVO. ADRISV. BEATI



THESES EX ONTOLOGIA

QUAS

IN ECCLESIA CATHEDRALI

PRIDIE KALENDAS JULIAS PROPUGNABUNT

SEMINARII ALUMNI

CE: ALOYSIUS VELLA, FIDELIS ZAMMIT,  
P. PAULUS CIANTAR.

CATHEDRAM MODERANTE SAC: GEORGIO CARUANA  
S. THEOL. D. PHILOSOPHIÆ, ET MATHÉSEOS PROFESSORE

Facta cuilibet a tertio arguendi potestate.


---

MELITÆ

Typis E. Laferla

MDCCLV.

Superiorum facultate.



Ubique veritas, praesides omnibus consulentibus te, simulque respondes omnibus etiam diversa consulentibus. Lique tu respondes; sed non liquide omnes audiunt. Omnes unde volunt consulunt; sed non semper quod volunt audiunt. Optimus minister tuus est, qui non magis intuetur hoc a te audire, quod ipse voluerit; sed potius hoc velle, quod a te audierit.

*August: Conf: X.XXVI.*

# THESES EX ONTOLOGIA.

## I.

Quum in omnibus omnino judiciis analyticis mens nostra sic evidenter identitatem, nexumque necessarium perspiciat prædicatum inter et subiectum, ut contrarium vel suspicari nequeat, quin cogatur conjungere simul esse et non esse; recte ad principium *contradictionis* omnia vera analytica et necessaria reducuntur.

## II.

Si bene animadvertatur discrimen inter reductionem et proprie dictam deductionem, seu demonstrationem; nonnisi præpostere ex concessis erui potest, omnia pariter vera analytica et necessaria per principium contradictionis demonstrari: quod quidem perfacile visum est Storchenau, analysim scilicet in synthesim convertendo.

## III.

Eodem ex capite æquivocationis arguendus videtur idem ceteroquin gravissimus philosophus, qui post Leibnitzium aliosque asserere minime dubitaverit vera contingentia *ordine demonstrationis* in principium rationis sufficientis seu verius causalitatis resolvi. Promiscue enim ipse sibi videtur usurpasse rationem sufficientem cur res ita potius existant, et aliam. plane rationem, qua eadem existere cognoscantur.

## IV.

Si vel leviter natura inspiciatur principii causalitatis, luce meridiana clarius erit, idem *absoluta certitudine* gaudere. Cum enim proprium sit cujuscumque effectus, ut potuerit non existere, vel aliter existere; necessario aliquid requiritur cur ita potius sit. Secus, vel ideo tantum existeret quia possibilis, vel quia a nihilo existentiam accepit, vel quia tandem sibimetipsi eandem elargitus est. Quisnam vero talia mente fingere unquam poterit?

## V.

Principii insuper contradictionis semel admissa absoluta certitudine; eadem nequit omnino denegari principio causalitatis, quin simul et illud destruat. Sibi ipsi itaque manifeste contradicit Beguelin, dum illius non modo veritatem, sed absolutam etiam necessitatem ostendens, eandem principio causalitatis adimere, saltem dubitando, nitatur.

## VI.

Hinc etiam sua veluti sponte manat, principium hujusmodi haud esse experimentale, et a posteriori, uti somniavit Hume, male permiscens *simplicem*, licet immediatam, *successionem unius post aliud*, *successioni* vulgo dictæ *cum dependentia*.

## VII.

Consequitur tandem falsum esse Kant aliosque autumantes, idem habere tantum fundamentum in *subiectiva nostræ rationalitatis conformatione*: quasi nempe quicquid in judiciis analyticis inveniatur

absolute necessarium et universale, id omne haberetur per anticipationem ex subiectiva dumtaxat rationis constitutione: minime quidem ex obiectis, quæ per experientiam nobis innotescunt.

## VIII.

Pro reali atque obiectivo possibilitatis conceptu acerrime adversus eundem Kant, ejusque sectatores decertamus. Præter enim quam quod conceptus istiusmodi prior sit conceptu impossibilitatis, eidemque directe opponatur; cum insuper possibilitas essentialiter consistat in convenientia terminorum, sive in *abstracto*, sive in *concreto*; ejusdem conceptus aliquid obiectivæ realitatis metaphysicæ aut physicæ involvit.

## IX.

Quod ad conceptum impossibilitatis spectat, quàmvis iisdem ultro demus impossibile *in se*, atque *formaliter* omni prorsus realitate carere; id tamen ipsis facile negamus, si respectus habeatur ad terminorum oppositorum intelligibilitatem.

## X.

Licet voluntas, seu omnipotentia Divina tantum pateat quantum possibilia, ita ut nihil revera sit intrinsece possibile, quod Deus nequeat efficere; oppido tamen falluntur Cartesius et Poiret contententes, rationem formalem cur aliquid sit intrinsece possibile repetendam esse ab omnipotentia Divina eodem ferme modo, quo ab ea repeti potest, et debet ratio formalis possibilitatis extrinsecæ: ac si Deo volente, circulus fieri simul posset quadratum: aut *nihil* actionis Divinæ objectum esse posset.

## XI.

Validissimis nihilominus rationum momentis ducti, nec non satis auctoritate doctissimorum virorum confirmati, pro certo tenemus possibilitatem intrinsecam, licet independentem a voluntate Divina, non esse in se quid absolutum: sed ab intelligibilitate Divini esse in sua entitate pendere. Alioquin monente Divo Thoma (sum: theol: I. p. QQ. 14. 15. 16. 44. ) cogeremur admittere : 1. Deum non cognoscere possibilia, nisi dependenter ab eorum logica entitate, eaque minime suum esse a Deo repetere: 2. non intellectum Divinum, sed hanc ipsam possibilitatis logicam entitatem omnis essentiae et rerum naturæ veluti mensuram esse et archetypum, ad cujus similitudinem res a Deo fuissent productae: 3. aliquid revera dari aeternum simul, et a Deo independens. Quibus nil magis repugnat.

## XII.

Conceptus essentiae, tam *realis*, quam *notionalis*, est etiam obiectivus. Illa enim cum necessario involvat omnia constitutiva entis, sive *in abstracto*, sive *in concreto* nonnisi temere dici potest mere subiectiva et chimaerica: notionalis autem, si entia artefacta et phantastica excipias, licet plerumque realem non adaequet; attamen quum notae genericae et specificaе, per quas exhiberi solet, fundamentum agnoscant a parte rei; nequit pariter dici *purum nomen pulidumque scholasticorum inventum*, sicut per injuriam Locke aliique opinati sunt.

## XIII.

Veterum illud philosophorum axioma “ *essen-*

tiam rerum immutabilem esse, necessariam, aeternamque” verissime dictum quidem esse si sermo fiat de essentia reali, et metaphysica, accepta nempe pro sola convenientia notarum *in abstracto*; minime sane. si nomine essentiae *notionalis* intelligatur et *physica*, paulisper perpendenti singulas hasce diversas essentiae species, facile erit inferre.

## XIV.

Quod a veteribus philosophis magna animorum contentione quondam disputatum fuit, utrum essentia rerum differret ab existentia; discrimine facto inter essentiam rerum *metaphysicam* et *physicam*, nobis facili negotio resolvi posse videtur. Si enim essentia primo modo consideretur, nempe *in abstracto*, pro sola convenientia terminorum compossibilium; tunc certe existentia re differt ab essentia: sicut existens revera differt ab ente tantum possibili. Sin vero essentia *in concreto*, et *physice* accipiat pro ipsis proprietatibus, quae actu naturam entis physici constituunt; tunc essentiam ab existentia neutiquam re differre, sed tantum *ratione* discriminari, censemus.

## XV.

Qui substantiam definiunt “*subjectum accidentium: subiectum perdurabile et modificabile: vel rem, cui insunt formae sensibiles: vel tandem ens quod principium suarum mutationum in se continet*, improbandi nonnihil videntur, utpote qui incauti licet, atheismo faveant. Hisce enim formulis, indirecte saltem, Divinam negant substantiam, quae a se rejicit *modos, accidentia, formas sensibiles, atque mutationes*.

Extremum oppositum petunt, qui substantiæ nomine intelligunt *rem ita existentem, ut nulla alia re* (tamquam causa) *indigeat ad existendum*: vel, quod eodem recidit, *ens, quod nihil ultra se in ordine ad existendum subaudit*. Quis enim non videt has similesque definitiones pantheismum redolere, quum nonnisi increatae competant substantiae, quae una ex nulla alia re quoad existendum pendet, nihilque ultra se in ordine ad existendum agnoscit?

## XVII.

Hujusmodi igitur corruptelas improbantes, statuimus, recte substantiam definiri, *ens reale per se seu in se existens, non indigens alio, cui inhæreat velut subjecto*. Quæ quidem definitio, licet tantum se habeat per oppositionem ad accidens; vel exinde tamen rectissimam censemus, quod substantiam constituens in existendo *per se*, seu *in se* ad exclusionem subiecti, cui inhæreat; non modo creaturas omnes, sed et ipsum Deum, cui competit existere *per se*, seu *in se*, complectatur.

## XVIII.

Ex hac definitione utcumque praestituta nullo prorsus negotio adversus Kant eruitur, conceptum, notionemque substantiae non esse ita opus nostrae rationis, ut per anticipationem et ante omnem de rebus experientiam habeatur.

## XIX.

Hinc etiam tota via errare, ac semet oppugnare dicendus Locke, qui dum chimæricum, et commentitium habet conceptum hunc; comminiscitur, substantiam nihil aliud esse, quam *complexum qualitatum ignota ratione coëxistentium*. Ipse enim 1,

quamvis invitus, fatetur, ideam substantiae esse universale subiectum hominum sermonis: 2. percontantibus ex ipso, utrum qualitates subiecto indigeant, necne? alterutrum respondeat necesse est. Si primum; dabit quod quaerimus. Sin alterum; tot erunt substantiae, quot qualitates. Seligat nunc adversarius!

## XX.

Tum ex ipsa mentis nostrae constitutione, tum ex accurata analysi *qualitatum accidentalium* suademur, has naturaliter *per se* nullo modo existere, sed *inhæsionis subiecto* indigere, ut existant.

## XXI.

Scholasticos et nos sequemur, qui præeunte Boetio personam, vel suppositum rationale definiunt "*naturæ rationalis individuum substantiam*," dummodo tamen 1. vox *individua*, quæ definitum exprimit, non ita accipiatur, ac si notæ, per quas natura rationalis fit individua, personam constituerent: et si 2. *substantiæ* nomine *subsistentia* intelligatur.

## XXII.

Discrimen *reale modale* intercedit inter *personam* et *creatam naturam*. Haec enim, quamvis singularis sit, atque completa, tamen si præcise in ratione, notisque naturæ spectetur, non videtur includere omnimodam incommunicabilitatem, quæ proprie soli competit *personæ*.

## XXIII.

Moralem personæ identitatem a physica, et in se spectata apprimè secernentes, affirmamus, illam quidem conscientiae testimonio patefieri: hanc verò

constituendam esse existimamus cum A. Dmowski  
*"in constanti permanentia substantiae animi nostri,  
 vitaeque animalis, quoad corpus, continuitate."*

## XXIV.

Circulo vitioso miserrime obvolvuntur Locke, et Condillac, quum identitatem personæ reponunt in sola conscientia referente, et conjungente diversas affectiones præteritas cum præsentis animæ statu Personæ namque identitas conscientiam præcedit.

## XXV.

Principium *indiscernibilium* a Leibnitzio in philosophiam invectum negantes, contendimus duo aut plura entia perfecte similia actu dari posse, cum intrinsicè non repugnent. Quod enim in se possibile est, ab aliqua virtute proportionata effici potest.

## XXVI.

Distinctam *unitatis indivisibilitatis*, necnon entis *simplicis* notionem ex ipsa animi nostri consideratione comparamus. Quum enim animus noster semet, suamque existentiam conscit, plura in seipso depraehendit, quæ magnitudine, figura, junctisque simul partibus careant. Hujusmodi sunt actus percipiendi, sentiendi, volendique, qui quum ex unico, ac indivisibili principio omnes dimanent, simplicem animi activitatem patefaciunt.

## XXVII.

Ex hactenus positis pronum erit inferre, omnia susque deque pro arbitratu vertere Sensistas, dum conceptum simplicis, et unitatis prius dictæ a sensibus, et ab obiectis externis unice repetunt.

## XXVIII.

Hinc etiam colligere licet, eundem conceptum non esse 1. *meram subjectivam rationis puræ theo-*

*reticae apprehensionem*, quum fundamento obiectivae realitatis non destituatur 2. Positivum quidem esse, quamvis terminis negativis exprimatur, sicuti ex ejus genesi et analysi apparet.

## XXIX.

Opinio illorum, qui cum Leibnitzio, et Boschovichio ultima corporum elementa habent *simplicia* et *omni prorsus extensione destituta*, non modo falso inniti fundamento, sed conceptui corporis et quantitatis opponi e diametro videtur. Ut enim ultima corporum elementa dicantur, et sint componentia; non requiritur, ut sint simplicia: sed sufficit, ut in partes realiter discretas amplius resolvi nequeant. Conceptus insuper corporis includit physicam quantitatem continuam. Quantitas autem nequit exurgere ex non quantitibus.

## XXX.

Cum infinitum in unitate solummodo inveniri possit, ita ut ex pluribus finitis coalescere nequeat; sequitur quantitatem omnem sive discreta illa sit, sive continua, infinitam actu esse non posse.

## XXXI.

Eadem prorsus ratione praesertim adversus Clarcke negamus omnino dari *extensionem*, seu *spatium actu infinitum*. Etenim spatium *physicum et reale*, limitibus obiective realibus circumscriptum quum sit; necessario finitum esse nemo est, qui non videat. *Ideale* autem propter istorum limitum defectum non quidem actu, sed potentia infinitum, seu verius *indefinitum* erit.

## XXXII.

Idealismum subaudit ac formalismum Kantiana opinatio, spatium scilicet generatim esse *intuitio-*

*nem quamdam puram, et formam sensibilitatis externae a priori, vi cujus singula phænomena extensa esse cogitarem.* Et sane quemadmodum conceptus spatii physici a reali obiectorum coëxistentia necessario pendet, ut his sublati statim et ille pereat; ita sublata *trina et reali dimensione*, simul destruitur, fitque impossibilis corporum conceptus. Idem dicito de *spatio ideali*, quod quum sit abstractio mentis nostrae a perceptione obiectorum sensibilium facta, nequit omnino formam sensus externi appellari.

## XXXIII.

Conceptus formalis entis finiti, quamvis indirecte defectum majoris perfectionis involvit, quum directe tamen realitatem aliquam supponat; quid reale erit et *positivum*, non vero *negativum*, quemadmodum plerique cum Cartesianis contendunt.

## XXXIV.

Ex notione finiti ad *explicitum et formalem entis infiniti conceptum* mentem assurgere per jugem additionem perfectionum finitarum, opinatus non fuisset Locke, si vel leviter advertisset notionem infiniti *simplicissimum exhibere obiectum*, ac terminis undique absolutum: maxime e contra *compositum* esse, et a limitibus minime vacare quod plurium proprietatum finitarum additamento conflatur.

## XXXV.

Hunc tamen *explicitum, atque formalem conceptum entis absolute infiniti*, ex notione finiti inferendo deduci quidem posse arbitramur ope reflectionis ad realitatis, ac perfectionis ideas. Harum namque limites, terminosque abijciendo, mens nostra sibi comparat ideam entis illimitati, et in

gradu perfectionum infiniti. Hinc, complexo licet ratiocinio, recte infert alias consociabiles perfectiones, eidemque proprias.

## XXXVI.

Prorsus neminem esse putamus qui vel ex facili ejusdem conceptus analysi suaderi nequeat, soli dumtaxat enti infinito *necessitatem* competere *et esse a se*: ac proinde omnia finita *contingentiam*, *et esse ab alio* in suo conceptu involvere

## XXXVII.

Si principium pro eo sumatur, quod in se continet rationem alterius; latius patet quam causa, quae in scholis definiri consuevit "*principium determinans aliud sibi insufficiens ad existendum*". Causa enim semper, si non *tempore*, saltem *natura* prior est effectui: non item principium, cui sufficit ut sit principiatio prius dumtaxat *origine*. Principium insuper cum internum sit, naturam principiatio communicat, sed eam non producit. Secus vero causa.

## XXXVIII.

Inter reales relationes reponenda est ea, quae causas cum effectibus mutuo conjungit, quum quaelibet causa debet in se continere rationem, cur talis perfectio inveniatur in effectui, quem produxit, et sine hac ratione effectus non haberetur.

## XXXIX.

*Causarum secundarum nullam esse efficientem*, Occasionalismi dogma est. Quae quidem doctrina, quatenus omnem creatis spiritibus denegat *activitatem*, absurda omnino censeri debet. Ut, bre-

vitatis gratia, alias satis validas rationes omittamus; si non animus noster, sed Deus dumtaxat in nobis operaretur; libertas omnis actionum nostrarum, omne meritum aut demeritum, omneque discrimen inhonesti tolleretur. Quae omnia contra fidem et rationem peccant.

## XL.

Non spiritibus solum, sed omnibus generatim creatis substantiis inest nativa quaedam ac permanens activitas, qua effectus naturae suae proportionatos edere possint. Quare non *occasionales causae* censendae illae sunt, sed vere *efficientes*. Audiatur hic tantum Divus Thomas, qui (congent. 1. 3 c. 69) more suo ita luculenter ac invicte adversarios perstringit: *Contra rationem sapientiae est, ut sit aliquid frustra in operibus sapientis. Si autem res creatae nullo modo operantur ad effectus producendos, sed solus Deus operatur; frustra essent adhibitae ab ipso aliae res ad producendos effectus.*

## XLI.

Qui tandem mentis suae aciem in hanc admirabilem Summi Conditoris sapientiam, necnon in se ipsum paulisper convertit; nimis manifeste perspiciet, *finem* merito inter causas recenseri: ac proinde vigilantes somnare nonnullos recentiores philosophos, qui vestigiis Epicuri, Democriti, et Spinosae luctuosissime inhaerentes, *causas finales*, ceu *luxuriantium hominum commenta* ablegare vellent.

## FINIS.